

**Disputatio  
theologica de  
praedestinatione.  
Quam divinâ favente  
gratiâ, sub ...**

Laurentius Nicolai,

*11 Ae 4:o*



National Library  
of Sweden

28  
DISPUTATIO THEOLOGICA

De

PRÆDESTINATIONE.

Quam

Divinâ favente gratiâ,

SUB PRÆSIDIO

*Plurimum Reverendi, Præclarissimiq; Viri,*

**Dn. M. NICOLAI LAUR:**

**NYCOPENSIS, S. S. Theologiæ Professoris  
Ordinarij, Ecclesiæq; Dei, quæ in Sagu est, Pa-  
storis longè meritissimi, hospitis sui propensissimi,  
& Promoris quovis honoris cultu perpe-  
tuum suscipiendi.**

*Liberalis Exercitiij ergò publicæ censuræ submittit*

**BENEDICTUS OLAI RÜBERGIUS**

W - Gothus.

*Ad diem*

*Anni 1658 horis antemeridianis consue-  
tis in Auditorio Majori.*

A B O Æ

---

Excusa à PETRO HANSONIO Acad. Typogr.



S. R. M.<sup>is</sup> Servitoribus fidelissimis;

*Nobilissimo, Spectatissimis Prudentissimisq; VIRIS,*

Dn. JACOBO ANDREÆ Gyllenstale/  
Hæreditario de Kawatula och Kättula / vectigalium, quæ A-  
boæ coacervantur, maritimorum, præfecto amplissimo,  
Mecœnati suo jurgi observantiæ cultu prosequendo,

Dn. ELIÆ JOHANNIS, ditionis Aboën-  
sis & Arcopolitanæ Logistæ circumspèctissimo, Pro-  
motori ac fautori suo ætatè devenerando,

Dn. PETRO HOLLENDER comnea-  
tuum Arcis Abogicæ Quæstori accuratissimo, fautori  
suo omni reverentiâ suspiciendo.

Dn. ERICO PETRI Brobärg<sup>h</sup> / Telonio-  
rum, quæ in Fenningia colliguntur, minorum, Inspectori  
solertissimo, Evergetæ suo perpetim colendo,

Dn. ANDREÆ GUSTAVI Braan /  
Teloniorum Aboæ Majorum Ratiocinario dexterrimo,  
Fautori suo indubitato, plurimum honorando.

Dn. ERICO ANDREÆ Sundell / per le-  
gionem ordinis pedestris Logistæ expeditissimo, patriotæ,  
amico & benefactori ut propensissimo, ita vicissim amo-  
re verè germano & honore perpetuo affièndo.

*Hanc disputationem in debita observantia &*

*gratitudinis ætæque or dedicat inscribit*

*& offert*

B. O. R.





I. N. I. C.

# THESIS I.



Ogitanti mihi sæpenuerò de Themate ex sacris fontibus deprompto, in quo ingenium meum exercerem, primo obtuitu sese obtulit sublimis fidei nostræ articulus de *Prædestinatione*, & quidem merito; hic enim articulus cum sit cognitu difficilis & scitu maximè necessarius, nobis igitur sit commendatissimus oportet; *χαλεπὴ γὰρ καλὰ*. Arcana quoq; Dei consilia nobis detegit rectamq; ad vitam æternam monstrat viam, quâ nobis nihil amabilius & jucundius esse debet. In hoc etiam cum adversarijs nostris plurimæ eaq; gravissimæ nobis sunt controversiæ, quibus decidendis haud sumus pares, nisi hujus ardui articuli qualiscunq; nobis pateat cognitio. Cujus theoriam commodissimè *ὀνοματολογία* & *πραγματολογία* explicant. Ad illam spectant tria, Paronymia scilicet, homonymia & Synonymia. Hæc autem definitionem sibi explicandam sumit.

## II.

*Paronymiam* quod concernit, derivatur vox *Prædestinationis* à verbo prædestino, quod componitur ex particula præ, notante hoc loco antecessionem durationis seu æternitatis ad tempus, & à verbo destino, quod significat constituere, discernere & ordinare, ut sic prædestinare sit aliquem ad vitam destinare antequam existeret aut crearetur. Cum etiam Electio in hoc salutis

A

myste-

mysterio Prædestinationi æquipolleat, ejus igitur ὄνομα-  
τολογίαν brevibus perstringere operæ pretium esse du-  
co, ubi primò occurrit Etymologia, quæ talis est: Vo-  
cabulum Electionis deducitur à verbo Eligo, quod componitur  
ex præpositione ex & lego, ut sic Eligere sit certos quosdam ex  
promiscua plebe separare. Undè liquet hâc voce & univer-  
sitate quandam notari, & separationem quorundam  
ex coetu illo universo.

### III.

Quoad Homonymiam vox Prædestinationis in foro theo-  
logico duplicem importat significationem. α. Generalem,  
& denotat Dei decretum de omnium rerum gubernatione. Deus  
enim omnia per certa media ad fines suos convenienter ordinat  
& sic complectitur suo ambitu tum res, tum personas, Act. 4. v.  
28. 1. Cor. 2. v. 7. Act. 17. v. 26. β. Specialem & sic si-  
gnificat verè credentium & ad finem usq; in fide perseveran-  
tium ad vitam æternam per certa media destinationem & ele-  
ctionem Rom. 8. 28. 29. Eph. 1. 4. 5. Vox Electionis eod-  
dem modo in codice sacro diversimodè accipitur, & quidem 1.  
De rebus, notatq; tum rem aliquam cæteris præferre, vel etiam  
ad usum nobiliorem deputare. Gen. 13. 11. Elegit sibi Loth-  
regionem circa Jordanem. Deut. 12. 21; Tum rem ali-  
quam eximiam sive excellentem velut pretiosam & ma-  
ximè acceptam habere. Esa. 58. v. 6. 2 de Personis & sic  
assignatur vel Christo, tanquam unico in æterno Dei decreto at-  
que consilio mundi redemptori ordinato. Ef. 43. 10. Math. 12.  
18; Vel Angelis tanquam Deo singulariter dilectis 1. Tim.  
5. 21; Vel hominibus tanquam proprio Electionis objectis; & his  
sub triplici respectu tribuitur, 1. γενικός & tum significat  
Persona alicujus selectionem, & ad officium vel Ecclesiasticum,  
vel Politicum destinationem Exod. 18. 25 Deut. 18. 5 1. Sam.  
10. 24. Luc. 6. 13. Act. 1. 24. 2. μέσος & designat segre-  
gatio-

gationem ad vitam salutis & gratiam, adeò ut illi hoc sensu dicantur Electi, qui per prædicationem & evangelij ad Ecclesiam sunt vocati Deut. 4. 37. cap. 7. 6. Dicitur aliàs hæc Electio, Electio ad gratiam itemq; Electio temporalis. 3. ἐδικαῖος, notatq; prædestinationem filiorum Dei ad vitam æternam, qua vocatur Electio ad gloriam. Matth. 20. 16. Marci 13. 20. Jac. 2. 5. In qua significatione vox Electionis per Metonymiam, pro ipsi personis ad vitam æternam Electis, usurpatur. Rom. 11. 7. Electio (id est, Electi) consecuta est.

#### IV.

Ex varia hujus vocis significatione tria colligimus porismata α. Vocem Eligendi semper in bonam partem usurpari, nunquam in malam. β. Separationem quandam vel personæ alicujus ab alia personâ, vel rei alicujus ab alia re, in significatione sua includere. Hinc termini isti permutantur invicem. Quod enim Moses vocat Eligere Deut. 7. 6. id Salomon reddit per separare 1. Reg. 2. 53. Sic Electio discipulorum Luc. 6. 13. nominatur Separatio Act. 13. 2. γ. Prædestinationem & Electionem in hoc salutis mysterio æquipolenter accipi Rom. 8. 30. quos prædestinavit, hos & vocavit, justificavit & glorificavit. Eph. 1. 4. Elegit nos Deus in Christo ante jacta mundi fundamenta versu 5. qui prædestinavit nos in ad optionem filiorum Dei. 2. Thess. 2. 13. Nos debemus agere Deo gratias pro vobis quod Elegerit vos ab initio ad salutem.

#### V.

Quoad Synonymiam, dicitur Hebraicè MIBCHAR à radice BACHAR elegit, Græcè ἐκλογή ἀπό τῆς ἐκλέγεσθαι, Latine dicitur aliàs inscriptio in librum vitæ. Exod. 32. 4. 69. 29. Dan. 12. 1. Apoc. 17. 8. 2. Scriptio nominum facta in celo Luc. 10. 20. 3. Donatio hominum de mundo facta Christo Joh. 17. 9. 6. 4. Ordinatio ad vitam æternam. Act. 13. 48. 5. Beneplacitum vo-

luntatis Dei, Eph. 1. 5. 6. *Propositum Dei & consilium voluntatis eius* Eph. 1. 11. Hæc de ὀνοματολογία sequitur πραγματολογία quæ talis est: VI.

*Prædestinatio est decretum voluntatis divina consequentis, quo Deus ante jacta mundi fundamenta, non secundum opera, sed ex mera gratia & misericordia in Christo juxta infallibilem suam præscientiam ad salutem ordinavit homines virtute Spiritus Sancti per Evangelij prædicationem perseveranter credituros in laudem gloriosæ gratiæ suæ.*

VII.

*Hæc definitio constat genere & differentiâ. Genus est decretum Dei, non quidem legale sed Evangelicum. Ubi notandum decretum Dei duobus accipi modis. α. in actu primo pro ipsâ voluntate decernente, Et sic prædestinatio est secundum decretum Dei. β. in actu secundo, pro ipsâ actione Dei quæ fit secundum voluntatem, decernentem, & sic prædestinatio est ipsum Decretum Dei.* Eph. 1. 11. VIII.

*Differentia est deprompta è causis & adjunctis. In classe causarum occurrit 1. Causa efficiens quæ est vel Principalis vel impulsiva vel instrumentalis.*

IX.

*Causa efficiens Principalis est Sacrosancta & individua Trinitas, Pater, Filius & Spiritus Sanctus.* Eph. 1. 3. 4. 2. Thes. 2. 13. Nam opera Trinitatis ad extrinseca objecta respectum importantia sunt indivisa.

X.

*Causa impulsiva est Duplex προηγουμένη & προκαταρκτική.* XI.

*Causa προηγουμένη sive interna est misericors Dei voluntas, seu gratuitus Dei favor, quo ille nullo prorsus nostro merito ad miserationem nostri fuit impulsus, & propter meritum*

filiij

*filij fide apprehensum credentes in gratiam recipere, peccata condonare, justificare ac aeternam saluare constituit. Eph. 1. 5. 2. Tim.*

1. 9.

## XII.

Cum actus Prædestinationis voluntati diuinæ tribuatur, de hac non nihil agendum. Et quamvis voluntas Dei per suam essentiam sit unica & simplicissima, est n. ipsa Dei essentia, tamen cum ad extra progreditur distinctionem quandam admittit non sui sed objectorum ratione, & distinguitur *α. in Absolutam & conditionatam.*

## XIII.

*Voluntas Dei absoluta est, quæ Dei omnipotentiam respicit, & cum immutabili eventus necessitate conjuncta est.* Huc pertinet illud: Deus noster est in cælo, omnia quæ voluit, fecit, vel ut Tremellius vertit, quicquid placet facit Ps. 115. 3. Et illud: voluntati ejus quis resistit? Rom. 9. 19. Hæc voluntas Dei in negotio prædestinationis locum non habet, id quod falsò statuunt Calviniani.

## XIV.

*Voluntas Dei conditionata est, cujus effectus pendet è certâ conditione.* Sic Deus vult omnium hominum salutem non simpliciter & absolutâ voluntate, sed conditionatâ, id est, si media salutis non neglexerint. Huc spectat illud Christi Matth. 23. 37. Hierusalem Hierusalem quoties volui congregare filios tuos & noluisti.

## XV.

*Hæc voluntas Dei conditionata rursus dispescitur in Antecedentem & consequentem.*

## XVI.

*Circa voluntatem Dei Antecedentem notanda α. Definitio* Voluntas Dei Antecedens est consilium, beneplacitum, & decretum Dei aeternum de omnibus in uniuersum hominibus peccato perditis per Christum Salvatore fide apprehendendum salvandis.

## XVII.

*B. Ratio appellationis.* Dicitur hæc voluntas Dei Antecedens 1. Respectu consequentis, quâ prior est ordine non tempore. 2. Respectu omnium aliarum causarum, quas modis omnibus antevertit, & in solo Deo Spectatur certum salutis ordinem constituente. 3. Respectu hominum obedientiæ, vel inobedientiæ, cujus considerationem simpliciter præcedit. XVIII.

2. Fundamenta, quibus innititur, sunt 1. *Universalis Dei misericordia & dilectio quâ Deus totum genus humanum complexus neminem hominum absoluto odio in hoc salutis negotio præterierat.* Rom. 11. 32. Concluserat Deus omnia sub incredulitatem, ut omnium misereretur. 1. Tim. 2. 4. Deus vult omnes salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire 2. *Universale Christi meritum, quò is pro totius mundi peccatis satisfecerat, id quod probatur sequentibus Scripturæ testimonijs.* Esa. 53 6. Deus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. 2. Cor. 5. 15. Christus pro omnibus mortuus est. Joh. 1. 29. Ecce agnoscit Dei qui tollit peccata mundi. 1. Joh. 2. 2. ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed pro totius mundi. 3. *Universale verbi ministerium, quò Spiritus Sanctus beneficia Christi merito parta toti mundo offert, & serio vult ut omnes per fidem accipiant & salventur, quod probatur hisce Scripturæ dictis* Matth. 28: 19. Euntes docete omnes gentes. Marci 16: 15. Joh. 1. 8. 2. Pet. 3 9. XIX.

*Circa voluntatem Dei consequentem notanda sunt tria: Definitio nimirum, Ratio appellationis, & differentia quâ differt ab antecedente.* XX.

*Voluntas Dei consequens est consilium seu decretum Dei æternum de salvandis credentibus, & damnandis incredulis.* Huc spectant sequentia Scripturæ dicta: Marc. 16. 16. Quicumque credi-

crediderit & baptizatus fuerit servabitur, qui verò non crediderit condemnabitur. Joh. 3. 18. 1. Cor. 1. v. 21.

XXI.

Vocatur autem hæc voluntas Dei consequens quia considerationem obedientiæ vel inobedientiæ hominum subsequitur.

XXII.

Differunt hæc duæ voluntates 1. quoad *σχεσι* oppositionis. Voluntas Dei antecedens unum tantum habet universalis dilectionis decretum, finem simul & media includens, cui nullum oppositum reprobationis decretum respondet, estq; tale: vivo ego Deus, volo & decerno, ut nemo mortalium pereat, sed ut omnes ad agnitionem veritatis perveniant, & per fidem salvi fiant. Ezech. 18. 23. c. 33. 11. Voluntas autem Dei consequens, quoniam conjunctam habet specialem Dei *σρόγνωσι*, quâ considerantur homines quinam obediant, vel inobedientes maneant, ideoq; duo habet decreta opposita, unum Electionis, alterum reprobationis. Electionis decretum tale est: vivo ego Deus, volo & decerno, ut omnis qui perseveranter credit in Christum non pereat, sed habeat vitam æternam. Matth. 10. 22. Joh. 3. 16. 1. Cor. 1. 21. Reprobationis decretum tale est: vivo ego Deus, volo & decerno, ut qui in Christum non credit, sed in incredulitate ad finem usq; perseverat, condemnatur Marc. 16. 16. Joh. 3. 18. 2. Quoad determinationem objecti, voluntas Antecedens respicit finem & media salutis quatenus à Deo sunt ordinata, omnibusq; hominibus ex æquo offeruntur. Voluntas Dei consequens respicit finem & media salutis, quatenus hæc jam actu ab hominibus acceptantur vel negliguntur. 3. Quoad speciem actus. Voluntas Dei antecedens vult omnes homines per Christum restaurare; Voluntas Dei consequens fideles saluti destinat, infideles a damnationi mancipat.

XXIII.

## XXIII.

Et dictis profluunt sequentia Forismata, quorum primum est hoc: *Gratia sive misericordia Dei patris erga genus humanum non est absoluta, quæ omnes alias causas excludat, ut Photiniani & Calviniani fingunt, sed est ad Christum relata, inque ejus merito fundata.* XXIV.

Hoc ut eò melius percipiatur, tenendum misericordiam Dei posse considerari bifariam 1. Respectu nostrum quatenus Deus Ter Opt. Max. nostram intuitus est miseriam. & sic misericordia Dei fons est nostræ salutis, meritoq; Christi prior. 2. Respectu justitiæ divinæ, Et sic Deus, plenè, perfectè & sine satisfactione justitiæ, hominū misereri haud poterat sine mediatore. Hinc canō ille Theologicus: *Misericordia Dei Patris Christi mediatoris merito & est prior & posterior. prior respectu nostræ miseræ, posterior respectu justitiæ divinæ.*

## XXV.

Secundum: *Gratia Dei ratione oblationis est universalis, adq; totum genus humanum se extendit; ratione v. applicationis & acceptationis sui particularis.* XXVI.

Tertium: *Gratia Dei excludit ab actu justificationis bona hominum opera præ visa.* Rom. 9. 16. non est volentis, neque currentis sed miserentis est Dei, c. 11. 5. 6. Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ secundum Electionem gratiæ fuerunt, si autem gratiâ, jam non ex operibus, alioquin gratia non est gratia. XXVII.

Quintum: *Utraq; Dei voluntas τὰξ̄u mediocrum salutis est determinata, sed media ista aliter considerantur respectu voluntatis Dei Antec. aliter resp. consequentis.*

## XXVIII.

Quintum: *Voluntas Dei consequens non est voluntati Dei Antecedenti opposita sed subordinata, ideoq; nulla est contradictio, Deum*

Deum velle *ἵνα πάντες* omnium hominum salutem, si media gratia, verbum & sacramenta non neglexerint; velle autem *ἵνα πάντες* eos aeternae damnationi adjudicare, quoniam oblatam gratiam rejiciunt, Spiritui S. resistunt & consilium Dei adversus semetipfos spernunt. Huc spectat Regula Theologica: *Quemadmodum Dei voluntas consequens non tollit antecedentem, ita scripturae dicta de voluntate Dei consequente loquentia non sunt opponenda ijs testimonijs qua voluntatem Antecedentem adstruunt.* **XXIX.**

*β. Distinguitur Dei voluntas in Absconditam & Revelatam.* **XXX.**

*Voluntas Dei abscondita est, qua ab aeterno ante facta mundi fundamenta in arcano Dei sinu latuit quasi occultata.* Huc refer. 1. mysterium Evangelij ante universalem praedicationem, quippe quod vocatur Mysterium aeternis temporibus tacitum Rom. 16. 25. a seculis & generationibus absconditum Col. 1. 26. 2. Particularia Dei judicia & speciales casus quorum reddere rationem non possumus, ut cur Deus hanc gentem uberiori dignetur gratia quam aliam? Cur in Tyro & Sidone tot miracula non fuerint edita, quot in Chorazin?

**XXXI.**  
*Voluntas Dei Revelata est, qua per Evangelium nobis in tempore est patefacta.* Huc pertinet doctrina Evangelica, & omne id quod nobis est cognitu necessarium ad salutem. Quicquid enim spectat tum Electionem tum salvationem nostram, hoc omne revelatum, scriptisq; consignatum est, ut nullam absconditam vel arcanam voluntatem circa negotium salutis agnoscamus.

**XXXII.**  
*Causa electionis ἡ ἀποκατάστασις Externa est rursus duplex, vel meritoria vel occasionalis.*

## XXXIII.

*Causa Electionis meritoria est meritum Christi, quod est fundamentum cui Electio nostra innititur.* Nam si Christus suo merito & passione nos Deo non reconciliasset, nos eligere non potuisset. Apprimè hic est notandum quòd filius Dei in Electione possit considerari dupliciter 1. Ratione essentiae, quatenus est verus cum Patre & Spiritu Sancto Deus, & sic unâ indivisâ actione cum patre suo & Spiritu S. nos elegit ad vitam æternam. 2. Ratione officij quod in se suscepit & perfecit ut Θεσάρθρωπ @, quæ est constitutus humani generis redemptor & mediator inter Deum & homines & sic propter eum Electi sumus ad vitam æternam. Undè non tantùm à Christo, sed etiam in Christo, id est, per & propter Christum sumus Electi ante jacta mundi fundamenta Eph. 1. 4. Hinc fluit sequens axioma: Christus quæ Deus est causa Electionis Principalis; quæ Redemptor & Mediator est causa Electionis meritoria, sive fundamentum, siquidem ἐνδοξία Dei de hominibus Eligendis in solo Christo fundatur. Col 1. 19.

## XXXIV.

*Causa Electionis irritans seu occasionem præbens est miseria hominum lapsorum sive prævisio lapsus generis humani. Siquidem Eligentis misericordia locum non habet nisi præcedat miseria.*

## XXXV.

*Causa instrumentalis Electionis ex parte Dei est ministerium verbi & sacramentorum 2. Thes. 2. 13. Act. 6. 7.*

## XXXVI.

*Causa instrumentalis electionis ex parte hominum est fides non actualis sed prævisa, eaq. non πρὸς χρόνον @ seu temporaria sed finalis. Non enim omnes credentes sunt Electi, sed soli in fide ad finem usq. perseverantes. 2. Thes. 2. 13. 1. Ph. 1. 12. Jac. 2. 5. Hic probè venit notandum a fidem*

considerari duobus modis, vel *absolutè* prout est qualitas, vel *Relativè* quatenus apprehendit Christum. Fides decretum Electionis non priori sed posteriori modo ingreditur. Æstimatur ergò fides non ex se sed ex correlati sui natura videlicet Christi apprehensi propter quem & eligimur ad vitam & justificamur. *β.* Perseverantiam in fide Electorum spectari non quoad continuum actum, justus enim septies cadit & resurgit, sed quoad finem vel terminum vitæ ultimum Matth. 24. 13. Qui perseveraverit usq; ad finem salvus erit.

XXXVII.

*II. Materia circa quam seu Objectum Electionis sunt homines, quos Deus prescivit virtute Spiritus Sancti per Evangelij prædicationem in Christum perseveranter usq; ad finem credituros. Quod ut planius fiat distingvendum est inter objectum Electionis materiale & formale. Illud homo in quantum homo. Hoc est homo in quantum credens & ad finem usq; perseverans. Matth. 24. 13. Marc. 13. 13.*

XXXVIII.

*III. Forma Electionis consistit in certa illa τάξις seu ordine quem Deus in decreto Electionis sanciendo sibi propositum habuit, & secundum quem pro sua misericordia propter Christi meritum verâ fide apprehensum finaliter credituros ad vitam æternam elegit. Notandum verò est τάξις hanc ambitu suo comprehendere tum decreta quæ Deus ab æterno sanxit, tum media quibus utitur in æterna electione consummanda. Decreta Dei quod spectat, sunt illa tria.*

XXXIX.

*Primum decretum est quò statuit filium suum mundi redemptorem constituere. Rom. 5. 8. c. 8. 3. 2. Cor. 5. 19.*

XL.

*Secundum decretum est, quò decrevit redemptos in gratiam recipere.*

recipere, & in fide perseverantes per Christum salvare Joh. 6. 40.  
Mare. 16. 16. Act. 2. 38. **XLII.**

Tertium decretum est, quò sanxit media ad respicientiam necessaria sufficienter prabere & efficaciter administrare. Tit. 2. 11. & 12. **XLII.**

Media quod concernit, sunt illa itidem tria, videlicet vocatio, justificatio & glorificatio, juxta illud Apostoli Rom. 8. 30. Quos prædestinavit, hos & vocavit, quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos etiam glorificavit. **XLIII.**

IV. Finis Electionis, qui consideratur vel respectu Dei, vel respectu nostri. Finis Electionis resp. Dei est evidens misericordia & gloria divina manifestatio. Eph. 1. v. 6. 12. **XLIV.**

Finis Electionis respectu nostri est vel intermedius ut sanctificatio in regno gratia Eph. 1. 4. Vel ultimus, ut glorificatio seu vita aeterna possessio in regno gloriae Rom. 8. 30. 2. Thess. 2. 13. Act. 13. 48. **XLV.**

Adjuncta Electionis sunt duo Aeternitas v. z. & immutabilitas. **XLVI.**

Electio est ab aeternis. Nam decretum Dei de salvandis omnibus, qui in vera in Christum fide ad finem usq. vita perseverant, non est factum in tempore, sed ante facta mundi fundamenta, quod expressa Spiritus Sancti oracula testantur. 2. Tim. 1. 9. Vocavit vos vocatione sancta secundum propositum ante tempora secularia 2. Thess. 2. 13. Elegit vos Deus ἀπὸ ἀρχῆς id est, ut Micheas per aliud Synonymon cap. 5. 2. interpretatur, à diebus aeternitatis, **XLVII.**

Electio est immutabilis. Hac autem immutabilitas dependet non ex fatali & absoluto omnes causas antegrediente decreto, sed partim à certitudine τὰς αἰῶνας divine decreto Electionis  
inclu-

*inclusæ: Qui credit in Christum, & in ea fide ad finem usque perseverat, is salvus erit Marc. 16. 16; partim ob infalibilitatem præscientiæ divinæ juxta quam Electio ab æterno est facta Rom. 8. 28. 29.*

## Q U Æ S T I O N E S.

1. *An doctrina de Prædestinatione sit populo publicè in Ecclesia proponenda?* Pro hujus quæstionis decisione distinguendum est inter tractationem hujus articuli curiosam, superciliosam, & extra S. Scripturæ limites vagantem; & sobriam, prudentem, & intra S. Scripturæ limites se continentem. Illam improbamus, hanc v. adstruimus hisce rationibus. 1. Quia doctrina de Prædestinatione est pars Evangelij de Christo, quod jussit Christus prædicari per totum mundū omni creaturæ. Marc. 16. 15. 2. Quia Prophetæ, Christus & Apostoli doctrinam prædestinationis & reprobationis pro re nata quibusvis tradiderunt Esa. 6. 9. Mal. 1. 2. Matth. 11. 21. C. 13. 13. Joh. 12. 39. Rom. 9. Eph. 1. 3. Quia doctrina de prædestinatione est divinitus inspirata & utilis est ad docendum redarguendum, corrigendum atq; instituentium. Illustrat n. gloriam Dei, docet veras salutis nostræ causas, arguit Pelagianos, instituit Electos ad omnes sanctitatis partes, consolatur infirmos, & corrigit eos qui hæc doctrinā abusi semetipsos vel in desperationem salutis abijciunt, vel in supinam peccandi licentiam effundunt. 4. Quia doctrina prædestinationis accendit in nobis amorem Dei, qui nos in peccatis mortuos & ob peccatum æternæ morti adjudicatos, gratis ad vitam æternam eligit. Eph. 1. 3. & 4. 5. Quia Patres hanc doctrinam tradiderunt in suis scriptis.

2. *Undè doctrina Prædestinationis sit haurienda?* R. Non ex rationis humanæ acumine, quod in divinis &

præcipuè in arduo Electionis mysterio à seculis abscondito planè cœcum est; Neq; ex immediata Dei revelatione, quem nemo vidit unquam Joh. 1. 18. Et cujus viæ sunt investigabiles. Rom. 11. 33. Sed ex solo verbo Dei revelato non legis, quæ iram operatur Rom. 4. v. 15. peccata arguit non remittit, accusat non condonat, Joh. 5. 45. Sed Evangelij, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti. Rom. 1. 16. In mysterio itaq; Electionis non est attendendum quid humani cordis cæcitas dicitat, vel quid humana curiositas desiderat, sed quid Spiritus Sancti dictamen in scripturis nobis suppeditat.

3. *An Electio et dicitur accepta & prædestinatio sint Synonyma?* Aff: Quia hi duo termini in acceptione biblicâ æq; latè patent, ita ut omnes & soli Electi sint prædestinati & contrâ. Undè Apostolus Rom. 8. 30. Electos definit *ὅς Θεὸς ἐπιλέγει* quos Deus prædestinavit ad salutem. Calviniani v. docent Electionem & Prædestinationem differre (1) ratione latitudinis, ut prædestinatio sit genus Electionis & reprobationis (2) ratione durationis, ut prædestinatio sit facta ab æterno, Electio a. in tempore. Sed utrumq; hoc falsum est. Prædestinatio n. non est gen<sup>9</sup> Electionis & Reprobationis; tum quia doctrina reprobationis ex lege est petenda, prædestinationis v. ex Evangelio; tum quia nusquam in scripturis pro reprobatione usurpatur prædestinatio; tum quia utrumq; vocabulū Electionis & Prædestinationis eodē sensu ab Apostolo accipitur Eph. 1. 4. 5 Elegit nos in Christo ante jacta fundamenta mundi ut essemus sancti, cum prædestinasset nos in adoptionem filiorū per Jesum Christum ubi Electi dicuntur prædestinati & prædestinati electi; tum quia prædestinati glorificantur Rom. 8. 30. Reprobi v. damnantur. Falsum quoq; est Electionem specialiter acceptam fieri in tempore, quod vel solum Apostoli pronunciatum.

Eph.

Eph. 1. 4. sufficienter refellit, ubi ait: Deus elegit nos in Christo ante jacta mundi fundamenta.

4. *An decretum Electionis sit absolutum, & antecedat omnes alias causas, An v. conditionatum?* Neg. prius Aff. posterius, Id quod facile est probatu ex hisce Scripturæ dictis, Eph. 1. 4. Col. 1. 19. 2. Thes. 2. 13. Eph. 1. 12. Jac. 2. 5. Marc. 16. 16. Hinc liquet etiam meritum Christi, & fidem Electionis esse causas, quod tn. negant Calviniani.

5. *An Electio sit facta secundum prævisa hominum opera?* N. Quia 1. Electio non est hominis volentis, nec currentis sed Dei miserentis Rom. 9. 16. Quia 2. Deus Prædestinavit nos secundum beneplacitum voluntatis suæ in laudem gloriosæ gratiæ suæ Eph 1 5 & 6. Quia 3. Deus Elegit nos in Christo Eph 1. 4 Et propterea nihil in nobis invenit propter quod nos eligeret. Quia 4. Omnes sumus naturâ filij iræ. Eph. 2. 3. Quia 5. Bona opera sunt finis electionis Eph. 1 5. Finis a. actum rei non ingreditur. Quia 6. Infantes ex gratia per baptismum regeneriti absq; meritis salutis fiunt participes. Mat. 10. 14.

6. *An Electio sit universalis?* Neg. quia pugnat æ. cum apertis scripturæ dictis quæ docent paucos esse electos Matth 20. 16. multi sunt vocati, pauci v. Electi. Joh. 15. 19. Joh. 17. 6. Act. 8. 48. Rom. 8. 30. 2. Tim. 2. 19 v. 20. β Cum notatione electionis. Vox n. Electionis notat quandam separationem, ita quidem ut primùm innuatur aliqua universitas, deindè quorundam ex illâ separatio quæ vocatur Electio. γ Cum inscriptione in librum vitæ, quæ tanquam singulare beneficium Dei non omnibus sed aliquibus tantùm contingit. Dan. 12. 1. Phil. 4. 3. Apoc. 21. 26. δ Cum titulis honorarijs, quibus Electi describuntur, qui non nisi credentibus competere possunt. Vocantur n. ωισοι ηγει

α γ ο ι

2701, quibus Deus benedixit omni benedictione in spiri-  
tualibus Eph. 1. 1. & 3. Sancti & dilecti Colof. 3. 12. Primitiæ  
Deo & agno Apoc. 14. 4. Empti de terra ex hominibus v. 3.  
Scripti in libro vitæ Dan. 12. 1. Reliquiæ secundum Electio-  
nem gratiæ Rom. 11. 5.

7. *An electi possint amittere fidem & excidere gratiã Dei?* Pro hujus quæstionis dictione Distinguendum est  
I. inter Renatos & Electos. Renati sunt omnes credentes  
qui per baptismum regenerati in Christum credunt, sive post-  
modum deficiant & in incredulitate pereant, sive in fide  
permaneant & salventur; Electi v. illi sunt, qui in fide per-  
severant usq; ad finem & ipso actu æternæ salutis reddun-  
tur participes. Undè patet Vocabulum Electorum angusti-  
us esse quàm Renatorum. II. inter gratiam Electionis,  
quæ futuram Electorum pœnitentiam, fidem & finalem  
perseverantiam respicit, & gratiam sanctificationis seu re-  
generationis quam Deus exercet erga renatos, eosq; tan-  
quam filios suos paternè diligit. III. Inter amissionem  
fidei & gratiæ totalem & finalem. Illa est, cum fides justificans & donum reno-  
vationis ex toto perditur, adeoq; ex fitio gratiæ fit filius iræ. Hæc est cum non  
tantum amittitur fides, sed etiam nunquam recuperatur, sed in infidelitate ex hæc  
vita migratur. Quibus præmissis respondemus ad propositam quæstionem per  
tres Propositiones. 1. Renati possunt amittere fidem & excidere gratiã Dei & tota-  
liter & finaliter, ut judæ proditoris, Hymenzi, & aliorum ad tempus credentium  
exempla luculenter testantur. 2. Electi possunt per mortalia peccata amittere fi-  
dem salvificam & excidere gratiã sanctificationis totaliter, quia *α*. Electio non  
est absoluta, sed ordinata, id est, ad certam mediorum *τῶν* restricta, quam  
si quis negligit, gratiã Dei ad tempus excidit. *β*. Spiritus Sanctus recedit ab ijs  
in quibus Satanas sua opera perficit. quod liquet exemplis Aaronis, Davidis &  
Petri, quorum ille idololatriã Exod. 32. iste adulterio & homicidio 2. Sam. 11.  
hic abnegatione Christi Matth. 26. fidem & Spiritum Sanctum turpiter excusse-  
runt. 3. Electi non possunt finaliter amittere fidem salvificam, excidere gratiã e-  
lectionis & æternum perire, Quia *α*. Electi *κατὰ πρόγνωσιν* sunt elec-  
ti. At impium est dicere præscientiam Dei falli. Firmum n. stat fundamentum  
Dei novit Dominus qui sunt sui 2. Tim. 2. 19. *β*. Oves Christi nemo rapiet ex  
manibus ejus Joh. 10. 28. *γ*. Scripti sunt in libro vitæ. Dan. 12. 1.

SOLI DEO GLORIA.